

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 3360

**Auteur(s) :** Robert Poulain, Rouen (archevêque)

**Bénéficiaire(s) :** Philippe II Auguste, France (roi)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1217, 27 mars

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Robert Poulain, archevêque de Rouen, reconnaît que le roi de France, Philippe [II], peut faire convoquer, par ses baillis, les doyens pour connaître des causes relatives aux patronages des églises en litige, et règle quelques autres questions de la juridiction de l'archevêque.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 251, p. 39.
- b. Bonnin Théodore, *Cartulaire de Louviers*, Évreux, Hérissey, 1870-1873, 6 vol., t. 1, n° CXXXIII, p. 174-175.

Texte établi d'après a

Universis Xpisti fidelibus ad quos littere presentes pervenerint, R., Dei gratia, Rothomagensis archiepiscopus, in Domino salutem. Noveritis nos karissimo domino nostro Philippo Francorum Regi illustri concessisse, ut, quotienscumque ballivi sui capitales mandabunt decanis nostris, quod ipsi veniant quislibet eorum videlicet cum quatuor presbyteris, ad facientes recognitiones ecclesiarum, de quibus dubitatum fuerit, ad quos jus pertineat patronatus, et ad removendos fugitivos ab ecclesiis, secundum usum et consuetudines Normannie, volumus et precipimus quod predicti decani cum presbyteris, sicut superius est expressum, omni dilatione et contradictione postpositis, veniant ad diem a ballivis domini Regis sibi ad hoc faciendum assignatam. Quod si super hoc deficerent, volumus et concedimus quod singuli eorumdem decanorum pro singulis defectibus emendam persolvant novem librarum quas domus leprosorum Rothomagi habebit sine relaxatione, ita quod nobis vel mandato nostro reddi non poterunt novem libre nisi ad opus dictorum leprosorum. Preterea concessimus quod placita judeorum teneantur in villa Deppe contra homines de Deppa, sicut solent teneri tempore Galteri archiepiscopi Rothomagensis et tempore domini Regis Philippi usque modo. Concessimus etiam ob amorem domini Regis, quandiu nobis placuerit, quod nos vel officialis noster non excommunicabimus capitales ballivos domini Regis, domino Rege super hoc irrequisito, dantes eisdem XV dies de respectu, nisi idem ballivi teneant clericum tonsuram habentem vel catalla ejus que reddere nollent nobis vel officiali nostro, et concessimus quod nos inquisitionem factam per episcopos et barones et alios fide dignos super articulo isto in proximo scacario pasche tenebimus et observabimus. Item petivimus et dominus Rex concessit nobis quod inquisitio fiat, quales videlicet redditus et quales consuetudines archiepiscopus Galterus habuit in Portu Archellarum ratione foreste Alacris Montis, et nos, ob amorem domini Regis, voluimus et concessimus quod haya Archiarum sit immunis ab hujusmodi consuetudinibus, quocunque modo fiat inquisitio. Item concessimus ob amorem domini Regis quod, quandiu ipse vendi faciet grossum et magnum nemus Novi castri et Luciaci cum minuto sub eo existente, censarii nostri de Aliermont non ibunt ad vendendum nemus apud Novum Castrum de assensu vel precepto nostro, et, si irent, nos eos exinde non

guarantiremus, et si dominus Rex non faceret vendi in boscis Novi Castri et Luciaci, sicut predictum est, ipsi censarii possent ire per viam antiquam ad vendendum nemus apud Novum Castrum. Preterea ponimus in bona sufferencia inquisicionem de villa de Dourenc et de prebendis Gornaii, ita quod, quando domino Regi placuerit, faciet inquiri de jure nostro et inde faciet voluntatem suam. Actum anno gratie M. CC. XVII, VI<sup>o</sup> kalendas Aprilis.